

ad nos venturas; sed postea in locum navium litteræ  
 194 allatae sunt, significantes non potuisse illas mitti sine  
 expresso charissimi in Christo filii nostri regis Chri-  
 stianissimi assensu. Quid dicemus de triremibus et  
 galeone Ecclesiæ, nec non de illis dicti electi Imper-  
 ratoris, quæ Neapoli et Siciliæ deserviuntur, quas  
 ipsemet Imperator electus non semel scripsit se ius-  
 sisce illico ad nos duci, ut reputaremus nos illas  
 et alteras Ecclesiæ ac nostras quasi in manibus iam  
 tenere? Ad hæc accessit, quod ex illis ipsis navibus,  
 quas, spe nostra in omnibus supradictis delusi, no-  
 bis hinc inde in portubus Hispaniæ provideramus,  
 paucae vel potius nullæ nobis remansuræ erant  
 propter traictionem dicti Imperatoris electi, simul  
 fere cum nostra concurrentem, nisi ipse filiali sua  
 erga nos pietate nobis bonum earum numerum re-  
 liquisset, quæ eius mandato detentæ sunt, ac iussæ  
 nobis potius quam Suæ Maiestati inservire. Cui præ-  
 ter alia ingentia merita, etiam hanc gratiam Sedes  
 Apostolica non parvam debet. Ecce igitur difficul-  
 tates, quæ nobis in profecionis nostræ molimine et  
 in conquirendis tam commeatibus propter penuriam  
 huius anni, quam navigis propter causas quas dixi-  
 mus, omni ex parte contigerunt. Neque enim absque  
 iusta classe nos mari committere consilium fuit, ne  
 si forte aliquid sinistri nobis accideret, quod tum  
 ex communi omnium iudicio, tum ex prudentibus  
 circumspetionum vestrarum litteris et providere  
 et precavere monemur, dum præsentibus malis stu-  
 demus occurtere, in graviora (quod Deus avertat)  
 incidamus. Sed placuit Deo, ut tam nostra summa  
 diligentia quam memorati Imperatoris et quorun-  
 dam hic magnatum ac potentum spe, obstacula quæ  
 nos hucusque remorata sunt prope omnino supera-  
 verimus, nec quicquam obstitutum speremus quum  
 in portum venerimus, quod (Deo adiuante) brevis-  
 sime venturum est, quo minus illico possimus vela  
 ventis dare. Ad quod unum utpote ad id quod pe-  
 catori nostro potissimum insideat, singulis horis om-  
 nes diligentiae atque industriæ nostræ nervos inten-  
 dimus. Interea circumspetiones vestrarum maximo  
 hortamur affectu, et in Domino rogamus, ut memo-  
 res dignitatis et officii sui, prout veros ecclesiæ car-  
 dines decet, concordibus ipse primum inter se  
 animis, Urbis et universæ ditionis nostræ paci et  
 tranquillati pro virili studeant, sicuti litteris suis se  
 facturas pollicentur. Militum conscriptionem, de qua  
 ad nos fama pervenit, nisi quatenus nostris et Ecclesiae  
 rebus necessaria sit, in terris nostris fieri  
 prohibeant; populos nostros sua dexteritate et solita  
 prudentia refrenent, et ad unitatem charitatemque

attrahant, et denique absentiam hanc nostram, quæ, Deo dante, brevior quam credi possit futura est, quandoquidem non voluntaria sit sed necessaria, æquo animo ferant proque compertissimo habeant, nos ob dignitatem Sanctæ Sedis et Catholicæ Ecclesiæ, cui nos licet indigos Divina Providentia per vestram electionem præfecit, hanc vitam ubique quidem et semper exponere paratos. Sed nunc omnes cogitationes nostras ad bunc quasi scopum dirigere, ut iucundissimo et optatissimo sponsæ nostræ et circumspetionum vestrarum aspectu citissime perfruamur, quo, secundum possumus et afflictis rebus cum Dei adjutorio vestroque consilio succurrere et 195 circumspetionibus vestrīs, tum ob istam unanimem nostri electionem, tum ob res in nostra absentia bene gubernatas, si non pro meritis, saltem pro virili nostra gratias coram referre. Reliqua quæ scribenda erant, dilectus filius Vilhelmus de Enckenvoirt notarius et procurator noster, cui prolixe scribimus, circumspetionibus vestrīs plenius referret. Cui eandem quæ nobis habituræ essent, fidem adhiberi cupimus.

Datum Cæsaraugustæ sub annulo piscatoris, die XIX Maii MDXXII. suscepti a nobis apostolatus officii anno primo.

*Breve Hadriani VI, in Pontificem electi, ad 196<sup>o</sup>  
 Senatum Populumque Romanorum.*

*Copia Brevis Sanctissimi Domini Nostri ad 196.  
 Senatum populumque Romanum.*

Hadrianus Papa sextus, dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem.

Mirabimini, nec immerito, quod cum alias ad quintam Maii scripserimus Nos intra paucissimos dies iter Barchinonam versus arrepturos, nondum ex hac civitate discesserimus. Credimus enim vobis tam ardens esse desiderium adventus nostri, quam nobis est conspectus almae Urbis et nobilissimi populi nostri romani, quo nullum certe sub sole maius esse potest. Sed mirari desinetis ubi causas moræ nostræ intellexeritis. Iam sarcinas nostras navi-geo versus portum præmiseramus, eramusque ad iter prorsus accincti, cum nobis certa fide nuntiatur et Barchinonam quo eundum erat, et Illerdam qua transeundum erat, peste non modica laborare. Quo nuntio, vehementer, ut par erat, turbati, mutandum habuimus propositum, et iter nostrum versus alium

(1) La carta 195<sup>o</sup> è bianca.